

1. Carpzov, August: De propinquitate, matrimonio adversaria. 1638.
2. Grosse, Henning: De exceptionibus dilatoriis. 1638.
3. Grosse, Henning: De rescriptis moratoriis sive induciis quinquennalibus. 1638.
4. Reusner, Joannes: De liti demeritione, sive laudatione, ut et Nominatione ductoris. 1638.
5. Wendeler, Michael: De justitia. 1638.
6. Grosse, Henning: De successione testamentaria in feudis, rebus expeditariis et hereditaria. 1639.
7. Gungelius, Albert: De majestate Romani imperatoris. Vulgo: Von dem Ansehen Vorzüge eines Römischen Kayser. 1639.
8. Gungelius, Albert: De eversionibus rerum publicarum. 1639.
9. Strauch, Johannes: De praerogativa jurisdictionis. 1639.
10. Taubmann, Christian: De remedio l. si contendat. 28 ff de fidejussoribus.

11. Reumer, Ferencus : De impensis. 1640.
12. Taubmann, Christian : Disputatio I continens
quaestiones forenses ex processu et ordinatione judic.
vulgo Gerichts Ordnung. ... Dr. Johannis Georgii,
Nucis ... et domini nostri ... De sumptibus 1640.
13. Wacker, Christophor : De singularibus persona-
rum, ex jure publico et privato. 1640.
14. Reumer, Ferencus : De dilacione moratoria. 1640.
15. Wacker, Christophor : De tutelis. 1641.
16. Reumer, Ferencus : De fato. 1642. 2 Exempl.
17. Reumer, Ferencus : De hospitacione militari,
vulgo Einquartierung. 1643.
18. Reumer, Ferencus : De praemiis et puenis
quaedam exhibitio axiomata. 1643.
19. Reumer, Ferencus : Exercitatio legalis ad Tit. 6
per § 1 et § 2 Inst. Justiniani Imp. de actionibus
personarum et rebus. 1643.
20. Wacker, Christophor : De jure singulari. 1643.

21. Reumer, Frenicus: De mutuo et usura. 1644.
22. Strauch, Augustinus: De locatione et conductu.
1644.
23. Inerus, Gottfried: De deposito et sequestro. 1644.
24. Inerus, Gottfried: Theoria juridica contractuum realium nominatorum. 1644.
25. Inerus, Gottfried: De jure non scripto. 1644.
26. Inerus, Gottfried: Theses Justinianae. . . .
Fast. Imperialium velitationibus ~~XX~~ ~~ex~~ ~~curae~~.
1644.
27. ^{Christian} Taubman, ~~Arhem~~: Disputatio IV continens quatuordecim
hinc forenses, ex processu et ordinatione Judic.
vulgo. Gerichtsordnung. Johani Georgii, Ducis
et Elect. Saxe. Desumptas. 1644.
28. ^{Christian} Taubman, ~~Arhem~~: Disputatio V. continens quatuordecim
hinc forenses ex processu et ordinatione
Judic. vulgo Gerichtsordnung. . . . Johani Georgii,
Ducis et Elect. Saxe. . . . Desumptas. 1644.
29. Taubman, Christian: Disputatio VI continens quatuordecim
forenses ex processu et ordinatione Judic. vulgo Gerichts-
Ordnung. . . . Johani Georgii, Ducis et Elect. Saxe. . . . Desumptas.
1644.

542
30. Tuckmann, Christian : Disputatio XVIII in De actis
notis ad Tit. 6. 7. 8. 9. 10. 11. et 12 lib. 10. Festil.

542

27
1634
35
2
1

Disputatio Juridica
De

TESTAMENTIS

Quam

Auxiliante Divinae Maje-
statis clementia

Consensu

Amplissimae Facultatis Juridicae in Illustri ad
Albim Academia,

SUB PRÆSIDIO

Dn. JOHANNIS STRAUCHII

J. U. D. Electoralis Consilarii, Collegii Juridici
Ordinarii, Decretalium Professoris Publ. Curiae Electoralis &
Consistorii Ecclesiastici Assessoris, Dn. Praeceptoris, Fauto-
ris & Affinis sui summo observantiae cultu reve-
renter prosequendi,

Publicè discutiendam proponit

MICHAEL LEDERERUS
wittebergensis.

*Ad diem XIX. Novemb. Hor. matutin.
In Auditorio Jctorum.*



WITTEBERGÆ,

Typis AMBROSII ROTHII, Acad. Typogr.
Anno M DC XXXIV.

12



TESTAMENTIS

Amiliane Dvinsajc

TRACHTU

Handwritten text in a cursive script, likely a testament or legal document.

Handwritten text in a cursive script, likely a testament or legal document.

Handwritten text in a cursive script, likely a testament or legal document.

Handwritten text in a cursive script, likely a testament or legal document.






In Nomine Domini Nostri

Jesu Christi

*l. 2. in pr. C. de offic. Praefect. Prae-
tor. Afric.*

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

uantus favor, quantaq; utili-
tas testamentorum sit, ipse Imperator
Constantinus in *l. i. C. de SS. Eccles.* ver-
bis satis claris & perspicuis exprimit,
inquiens; *nihil magis esse, quod hominibus
debeat, quam ut suprema voluntatis (postquam jam aliud
velle non possunt) liber sit stylus, & licitum, quod iterum non
redit arbitrium.* Et Jctus Paulus in *l. 5. ff. quemadm.
testam. aper.* Imperatori consentiens, ait; *publicè expe-
dire, ut suprema hominum judicia exitum habeant.* Quod
cum ita sit, & monente Jcto in *l. legavi 25. ff. de liberat.
legat.* utilia & quotidiana plenius sint attingenda: ope-
ræ precium duxi, hanc ultimarum voluntatum seu te-
stamentorum materiam, in foro frequentissimam,
pro viribus ingeni indagandam assumere, devotis Dei
Ter Optimi Maximi auxilium petens precibus, ut ipso
duce & auspice, sequentium thesium ventilatio ad ve-
ritatem eruendam faciat.

THESIS I.

IN primordio itaq; disputationis liceo pede non est prater-
lundum, quòd res, quæ secundum objectum, circa quod jus
A 2 nostrum

12

nostrum versatur constituunt, §. ult. *Inst. de l. N. G. & C. l. i. ff. de stat. hom.* de jure Civili, sepositis jam cæteris modis, acquiruntur etiam universaliter hereditate (quæ plurimas res partim corpore partim in jure positas cõplectitur *l. i. §. i. ff. de R. D.*) eaq; vel testamētariâ, vel legitimâ §. final. *Inst. per quas person. cuiq; acquiritur l. i. ff. de suis & legitim.* Nos verò legitimam successionem hac vice sub disquisitionis incudem non revocantes, operam nostram ad eam, quæ ex testamento nobis defertur, convertimus.

II.

Dicitur autem Testamentum ab Imperatore Justiniano *in pr. Instit. de testam. ordinand.* ex eo appellari, quod testatio mentis sit. Quam pulchram allusionem & realem potiùs notationem, quàm nominis derivationem statuimus. Testatio enim totum actum seu declarationem coram testibus factam significat *l. curent. 22. ff. de testib.* Estq; ea mentis, id est, voluntatis nostræ, cum testamentum major sit mentis nostræ significatio, quàm ulla alia testatio *Mynsing. ad pr. Instit. b. tit.*

III.

Hincq; definitur testamentum à Jcto Modestino in *l. i. ff. qui testam. fac. poss.* quòd sit voluntatis nostræ justa sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. Cum qua definitione congruit Ulpiani in *fragm. tit. de testam. in pr.*

IV.

Succedit jam divisio. Et dividebatur olim testamentum in id, quod calatis comitiis fiebat; quo in pace & otio Romani utebantur §. *sed ut i. Instit. de testam. ordinand.* & peragebatur in convocatâ populi concione, sine ullis aliis peculiariter requisitis testibus, utpote populo omnem solennitatem suâ autoritate supplente. *l. i. & 2. ff. de his qui in Eccles. manumitt.* Et in id, quod procinctum vocabatur, quod nuncupabant dubiam bellialeam tentaturi, præsentibus commilitibus; ita dictum, quod nullus militum incinctus sine notâ ingredi castra posset.

V.

Quia verò prædicta Comitiam biantum in anno indicabantur, & sæpiùs extra tempus Comitiorum homines intestati dece-

decedebant; hisce duobus generibus antiquatis, tertium emer-
sit, quod per æs & libram fiebat, in præsentia quinque testium,
(qui representabāt populum Romanum in quinque classes distri-
butum) ac libripendis, & familiæ emptoris. Agebatur enim
per emancipationem, id est, imaginariam venditionem. §. 1. *In-
stit. de testam. ordinand.* quod tamen postea à Præatore est abro-
gatum; & loco libripendis & familiæ emptoris duo insuper, &
ita septem testes adhibebantur.

VI.

Hodiè verò sublatis istis generibus ex Constitutionibus
Principum duæ testamentorum species potissimum sunt intro-
ductæ. Paganicum, quod domi fit, extra militiam. Et Militare.
Paganicum iterum subdividitur in Scriptum, quando testator
suam ultimam voluntatem in scripturâ exprimit: & Nuncupa-
tivum, quod citra scripturam voce vivâ nominato herede, nun-
cupatur.

VII.

Deinde testamentum à forma dividitur in Solenne & Mi-
nùs solenne. Solenne est, quod formam civilem & perfectam
habet, & in quo solennitates à jure requisitæ sunt adhibitæ. Mi-
nùs solenne appellatur testamentum imperfectum ratione so-
lennitatum, cui videlicet solennia juris desunt, l. 1. §. 1. r. ff. de
injust. rupt. irrit. fact. testament. Quale est testamentum militis,
Inter liberos, & ad pias causas l. 21. C. de testam.

IX.

His ita præmissis, accedendum est ad causarum investiga-
tionem. Et venit ante omnia consideranda causa efficiens;
quæ vel remota est, vel propinqua. Remota est jus Civile: te-
standi enim modus, de quo hoc loco agimus, proprius Civium
Romanorum est, & quamvis aliquid ex jure gentium ob genus
suum, quod est ultima voluntas, habeat admixtum, eoq; respec-
tu sit juris gentium, quia tamen forma sua, quæ dat esse rei, ex
jure civili descendit §. 3. *Instit. de testam. ordinand.* idcirco huic ju-
ri adscribitur. arg. §. 2. *Instit. de pat. potest.*

A 3

IX. Cau-

12

IX.

Causa efficiens propinqua sunt omnes personæ quæ testamēta facere queunt. Possunt autem suum ultimum elogium in testamento condere omnes, quibus hoc vel naturâ, vel legibus expressè non est prohibitum *arg. l. 28. §. 2. ff. ex quib. caus. major.*

X.

Et prohibentur naturâ quidam ob iudicii defectum. Cuiusmodi sunt impuberes §. 1. *Instit. quib. non est permitt. fac. testam. l. à qua etate §. ff. qui testam. fac. poss. & furiosi, qui sanitate mentis, quæ in testamento conficiendo necessariò requiritur l. 2. ff. qui testam. fac. poss. & l. senium 3. C. eod. destituuntur d. §. 1. Instit. quib. non est permitt. fac. testam. nisi in dilucidis intervallis testamentum sanâ mente inceperint facere, & nullo tali morbo interveniente, omnibusq; illis, quæ in huiusmodi actibus legitima flagitat observatio, accedentibus, consummaverint l. furiosum. 9. C. b. tit.*

XI.

Nonnulli ob vitium animi, quales sunt prodigi, quibus bonis interdictum est §. *item prodigus 2. Instit. d. tit. quod tamen interdictione vetustius habuerint testamentum, hoc valebit l. is cui 18. ff. b. tit. Vel corporis, ut surdi & muti §. testes 6. Instit. de testam. ordinand. l. qui in potestate 6. §. 1. ff. qui testam. fac. poss. si utroq; morbo simul laborent, ut neq; audire, neq; loqui possint, & hoc ex ipsâ naturâ habeant: ex accidenti enim eiusmodi morbo superveniente, surdi & muti, modò scribere queant, aut hoc à Principe impetrent, testamentum facere possunt l. si mutus 7. ff. eod. tit.*

XII.

Senibus autem vel aliis, quibus per interventum morbi infortunium accesserit, veluti cœcis, & eiusmodi valetudinariis sinceritatem mentis tenentibus, testamenti factio non auferitur l. senium 3. C. qui testam. fac. poss. oculis tamen carentes secundum formam in l. hac consultissima 8. C. eod. præscriptam testamentum facere debent.

XIII. Le.

XIII.

Lege prohibentur testari quidam, ob potestatem, vel patriam ut filiusfamilias, qui nec patre consentiente & permittente jure testamentum condere potest *pr. Instit. quib. non est perm. fac. testam. l. qui in potestate 6. & l. filiusfamilias 16. ff. qui testam. fac. poss. l. pen. C. eod.* exceptis bonis castrensis & quasi castrensis, de quibus ei testari permittitur *l. final. C. qui testam. fac. poss. vel dominicam ut servi l. si filiusfamilias 19. ff. b. tit.*

XIV.

Quibus non incommodè annumerantur capti ab hostibus *§. final. Instit. quib. non est perm. fac. testam. l. ejus qui 8. ff. qui testam. fac. poss. l. 3. §. 1. ff. de V. S.* non verò à latronibus capti, quia hi liberi remanent, & ideo testamentum facere possunt *l. qui à latronibus 3. in pr. ff. b. tit. obsides l. obsides 11. ff. b. t. & denique de statu suo dubitantes l. de statu 15. ff. d. tit.*

XV.

Quidam prohibentur propter poenam, ut ad mortem damnati, de jure veteri quidem vel naturalem *l. 13. ff. qui testam. fac. poss. nisi pendente accusatione moriantur, aut sententiam condemnatoriam appellatione suspendant l. si quis 9. & d. l. 13. §. fin. ff. b. tit. vel civilem l. 8. §. 1. ff. eod.* Et illi non solum testamentum facere nequeunt; sed etiam id, quod antea fecerunt, ipso jure irritum fit *d. l. 8. §. 1.* quoniam mortis tempore serviant.

XVI.

Hodiè autem ab Imperatore Justiniano, dum novo jure induxit, ut damnato neq; bona *Auth. bona. C. de bon. damnat.* neq; libertas *Auth. sed hodie C. de donat. inter vir. & uxor.* auferantur, videtur hoc esse sublatum, & permessa ejusmodi rei testamenti factio, non solum ante sed etiam post sententiam mortis. *Wesenbec. ad b. tit. qui testam. fac. poss. n. 13.* Id quod etiam de jure Saxonico observatur; exceptis iis casibus, ubi bona quoque confiscantur, uti est constitutum in *constit. Elector. 6. p. 3.*

XVII. Qui-

XVII.

Quidam deniq; testari nequeunt, propter delictum ab ipsis commissum, ob quod intestabiles redduntur. Quemadmodum sancitum est in hæreticis *l. 4. §. ergo. §. C. de hæretic. crimen. læsæ majestatis committentibus l. final. C. ad L. Jul. majest. me. te. pœnæ futuræ propter maleficium perpetratum voluntariâ morte in carcere supplicium antevertentibus, nisi hoc fiat ex aliquo dolore vel rabie furoris l. 2. C. qui testam. fac. poss. & usurariis, de usuris non satisfaciuntibus, nec cautionem de satisfactione præstantibus c. quanquam. 2. de usur. in 6.*

XVIII.

A causâ testamenti efficiente progredimur ad materiam in qua; quam constituunt omnis generis materiæ ad scribendum aptæ, sive sint tabulæ, sive chartæ, membranæve. *§. nihil. 12. Instit. de testam. ordinand.*

XIX.

Objectum seu materia circa quam, est omnis res, tam incorporalis, quàm corporalis, tam mobilis, quàm immobilis, tam præsens, quàm absens, cujus dominium quis legitimo modo acquirere potest; exceptis rebus, quæ vel jure gentiû, vel Civili, hominum commercio exemptæ sunt.

XX.

Jure gentium in testamento relinqui non possunt res sacræ & religiosæ; semel enim Deo dicatæ non debent ad usus humanos ulterius transferri *c. semel. §. 1. de R. J. in 6.* nisi ab hostibus captæ sacræ esse desierint, nec pristino statui restitutæ fuerint *l. cum loca. 36. ff. de relig. & sumt. fun. res nullius, ut littora, quæ jure gentium omnibus vacant l. 51. ff. de contrab. empt. & vendit. & propterea nullius fieri possunt arg. 182. ff. de R. J.*

XXI.

Jure civili nulli conceditur testari de rebus publicis, quæ usibus publicis destinatæ sunt, ut sunt Campus Martius, Curia, Forum, Theatrum *§. non solum 4. Instit. de legat. & arg. §. 2. Instit. de inutilib. stipulat.* nec Universitatis. Hæ enim res quia alienæ sunt, à nobis per ultimam voluntatem relinqui nequeunt. *Dd. in Auth. ingressi. C. de S S. Eccles.*

XXII. Ejus-

XXII.

Ejusdem farinae sunt res furto subtractae: malae fidei possessor enim, carens titulo, dominium in testamento in heredem transferre non potest *l. possessor 2. de R. J. in 6.* Heres siquidem juris successor vocatur *l. quoties. 9. §. 12. ff. de hered. instituend. nemo autem plus juris in alium transmittere potest, quam ipse habet l. nemo. 54. ff. de R. J.* Unde & heres non refuso precio, domino verò rem restituere tenetur *l. si mancipium. 23. C. de R. V.* cum juri naturae æquum sit, neminem cum alterius detrimento & injuriâ fieri locupletiozem *l. 206. ff. de R. J. l. 14. ff. de condi. indebit.*

XXIII.

In tantum, ut quamvis heres ignoret, testatorem rem testamento relictam malâ fide possedisse, ignorantia heredis tamen ad retinendum seu usucapiendum nihil proderit, quia succedit in vicium defuncti *l. litigator. 2. C. de fruct. & lit. expens.*

XXIV.

Quò etiam referri possunt res dotales: licet enim maritus sit dominus dotis, quia eam vindicare potest, si cadat possessione rei dotalis, & non uxor *l. doce ancillam 9. C. de R. V.* quia tamen res dotales proprium sunt mulieris patrimonium *l. denig. 3. §. 5. ff. de minor. & reipublicae interest, foeminas esse dotatas l. 1. ff. solut. matrim. maritus eas alienare, & ita in testamento ad alios transferre non potest l. 4. ff. defund. dotal. & l. 15. C. de rei ux. act.*

XXV.

Materiae testamenti perspectâ, ordinis ratio postulat, ut nunc formam ipsius contemplemur. Quae juxta Dd. quosdam in tribus potissimum consistit: heredis videlicet institutione, testium adhibitione, & ipsâ testandi actione.

XXVI.

Heredis institutionem quod attinet, in primis necessarium est ad testamentum ritè & solenniter conficiendum, ut in eo heredis nomen exprimat *l. heredes palam. 21. ff. qui testam fac. poss. (& quidem in testamento scripto, per manus testatoris, vel testium §. Sed his 4. J. b. t. quod tamen sublatum est per Nov. 119. c. 9.) quia heredis institutio est caput & fundamentum totius*

B

testa-

12

testamenti §. ante heredis 34. *Instit. de legat.* & ea non appositâ
nihil in testamento scriptum valet l. 1. in fin. ff. de vulg. & pupill.
substit.

XXVII.

Ad testium adhibitionem requiritur ut sint septem, d. §. 3.
7. h. t. l. hac consultiſſimâ 9. l. si unus 12. C. qui testam. fac. poss. l. hac
consultiſſimâ. 21. in pr. C. d. testam. Ordnung der Notarien in Co-
mitis Coloniens. Ann. 1512. tit. von Testamenten. §. vnd sollen die
Notarien / etc. idonei, id est, qui naturâ aut lege adhiberi non
prohibeantur. Naturâ testes esse non possunt, qui rationis &
iudicii integritate carent; utpote furiosi §. testes 6. *Instit. de te-
stam. ordinand.* l. qui testamento 20. §. ne furiosus 4. ff. qui testam.
fac. poss. Prodigii, quibus bonorum administratione interdictum
est d. §. 6. *Instit.* & d. is cui 18. ff. d. tit. Impuberes, d. l. 6. & l. in-
viti 19. §. 1. ff. de testib. Idem dicendum de iis, qui sensibus ad te-
stimonium necessariis destituuntur, quales sunt muti & surdi d.
§. testes 6. *Instit. h. tit.*

XXIIX.

Lege testimonium perhibere in testamento nequeunt, qui-
dam ob potestatem, cui vel subiecti sunt, ut filii familiâs, qui ne-
que ad patris, neque etiam ad fratris testamentum testes adhi-
beri possunt §. in testibus. 9. *Instit. de testam. ordinand.* l. parentes.
6. C. de testib. vel quam in alium habent, ut patres, qui propter
eâ in testamento filiorum testes esse non possunt d. §. 9. *Instit.*
de testam. ordinand. & d. l. 6. C. de testib.

XXIX.

Quidam ob statum, ut servi d. §. testes 6. *Instit. de testam.*
ordinand. d. l. qui testamento. 20. §. servus. 7. ff. qui testam. fac. poss.
vel ob sexum, ut mulieres d. §. testes *Instit. d. tit.* & d. l. 20. §. ma-
lier 6. ff. qui testam. fac. poss. Quidam deniq; ad dicendum te-
stimonium non admittuntur, quia non habent testamenti fa-
ctionem passivè, quales sunt publico iudicio damnati & inte-
stables d. §. testes 6. *Instit. de testam. ordinand.* l. is cui 18. §. 1. l.
cum lege 26. ff. d. tit. vel quia ipsis est negotium cum testatore,
ut sunt heredes instituti, & eorundem patres, fratres, & filii §.
sed neg. 10. *Instit. d. tit.* & d. l. qui testamento 20. in pr. ff. d. tit.

XXX. Sed

XXX.

Sed hoc accipiendum est de ejusmodi casibus; quando pater in testamento filii, vel vice versâ filius testanti patri testis existit. Secus autem est in alieno testamento, in quo pater & filius, qui est in potestate patris, & duo fratres testes esse non prohibentur, quia nihil nocet, ex unâ domo plures testes alieno negotio adhiberi §. pater §. Instit. de testam. ordinand.

XXXI.

Legatarius verò & fideicommissarius singularis, eorumq; filii puberes, ac hi, quorum in potestate sunt, in testamento, in quo ipsis legatum est, testes esse possunt §. legatarius. 11. Instit. h. d. tit. l. 20. in pr. ff. d. tit. tutori quoq; scripto in testamento jus testimonii ferendi non denegatur d. l. 2. in pr. ff. d. tit.

XXXII.

Tertium ad formam testamenti spectans, est ipsa testandi actio. Quæ hæc quatuor continet. 1. ut testes testamento inscriptis subscribant d. l. hæc Consultissima 21. C. de testam. & quidem propriâ manu, nec unus scribat pro alio l. singulos 30. ff. qui testam. fac. poss. 2. ut consignent propriis annulis, vel propriis deficientibus alienis §. possunt autem §. Instit. de testam. ordinand. l. ad testium 22. §. si ab ipso 2. ff. qui testam. fac. poss. ita tamen, ut testis utens alieno sigillo, faciat ejus mentionem in subscriptione. 4. ut hæc omnia fiant uno contextu, eodem tempore & die, nullo actu extrinseco præter necessitatem interveniente §. sed eum 3. Instit. d. tit. §. d. l. 21. C. eod.

XXXIII.

Hic quaeritur. An etiam contractus tanquam actus extraneus, per l. verba contraxerunt. 20. ff. de V. S. in testamento possit celebrari? Et licet Dd. in decidendâ hac controversiâ mirè se torqueant; hujus tamen nodus hac distinctione facilimè resolvitur: ista enim regula de actu & contractu planè extraneo est intelligenda, quo etiam non adhibito, testamentum ritè confici potest; quod non est extendendum ad contractus ad testamentum pertinentes: per hos enim testamentum non vitatur l. heredes 21. §. 3. ff. qui testam. fac. poss.

B 2

XXXIV. Et

12

XXXIV.

Et prædictæ solennitates omnes (præter scripturam, subscriptionem, & consignationem testium) in testamento etiam, nuncupativo exiguntur. Nam ejusmodi facturus testamentum, coram septem testibus specialiter ad hoc rogatis, suam ultimam voluntatē exponere & heredem palam, omnibus testibus audētibus, nuncupare debet *d. l. heredes palam 21. ff. qui testam fac. poss.*

XXXV.

Nonnunquam tamen hæ solennitates à jure civili inventæ remittuntur i. in testamento inter liberos *Gail. 2. observ. 112. valet enim, etiamsi ejusmodi testamentum sit imperfectum ratione solennitatis civilis, modò non ratione voluntatis d. l. hac consultissima. 21. §. ex imperfecto. C. de testam. l. inter omnes. 26. C. famil. hercisc.* Quod etiam observatur in testamentis principi oblatis, vel apud acta judicii confectis aut insinuatis *l. omnium 19. C. h. tit.*

XXXVI.

Rusticorum testamenta coram quinque tantum testibus facta, subtilitate legum remissâ, firma validaq; consistunt *l. final. C. h. tit.* Idem quoq; secundum æquiores sententiam obtinet, in testamento tempore pestis facto, quando plures testes haberi nequeunt. *Schneidewin. ad pr. Instit. de testam. ordinand. n. 16. Mynsing. 1. observ. 96.* Quam sententiam approbavit Augustus Elector Saxonix *in constit. 4. p. 3.* Et hæcenus de formâ testamenti paganici.

XXXVII.

Nunc restat, ut videamus testamentum militare: quod milites propter occupationes publicas, & quia magis arma, quàm leges scire præsumuntur *in pr. l. ult. v. arma. C. de jure deliber. ob juris ignorantiam l. 1. C. de jur. & fact. ignorant.* in expeditione quoquo modo facere possunt *pr. Instit. l. 1. ff. de testam. milit.* dummodò constet de ipsorum voluntate, quos voluerint habere heredes & legatarios *l. divus. 24. ff. de testam. milit.* adeò, ut neq; solennitatem testamentorum observare, neq; legitimum numerum testium adhibere necesse habeant *d. pr. Instit. de testam. milit.*

XXXIIX.

Quod cum antea omnibus militibus sine discrimine esset indultum, Imp. Justinianus restrinxit ad eos solos, qui in expeditione occupati essent *d. pr. Instit. §. 1. 17. C. de testam. milit.* quibus eo tempore, quo in prælio vitæ sortem derelinquunt, concessum est, in vaginâ aut clypeo, literis sanguine suo rutilantibus, annotare, aut in pulvere gladio inscribere, quid post mortem suam fieri velint *l. milites 15. C. eod.*

XXXIX.

Qui autem in hybernis locis, vel in suis ædibus degunt, non gaudent isto privilegio: privilegium namq; militibus concessum durat, donec militant *§. 1. Instit. §. 1. pen. C. h. tit. & cessante istâ causâ privilegii, cessat quoq; ipsum privilegium c. cessante 60. X. de appellat.*

XL.

Et non solum militibus, sed etiam aliis, qui ejus gradus sunt, ut jure militari testamentum facere nequeant, si in hostico deprehendantur, permissam est, testari, quomodo velint & quomodo possint *l. final. ff. de testam. milit.*

XLI.

Idem quoq; robur habet testamentum à milite ante militiam sine solennitate factum, si postea in castris degens illud resignavit, & quædam adjecit vel detraxit, dummodò manifesta est militis voluntas hoc valere volentis *§. 4. Instit. §. 1. in fraudem 15. §. testamentum. 2. l. tribunus 20. §. 1. ff. h. tit.*

XLII.

Et valet militare testamentum absq; solennitate confectum, quamdiu militant: post missionem verò tantum, si intra annum decedant *§. 3. Instit. §. 1. quod constitutum. 21. l. quod dicitur. 38. in pr. ff. h. tit.* Et hæc de formâ testamenti sufficiant.

XLIII.

Finis & effectus testamenti est, ut suprema testatoris voluntas, & omnia ea, quæ in testamento à morientibus disposita sunt, impleantur. *Nov. 1. in pr.* istaq; voluntas, tanquam lex aliqua conservetur *Nov. 22.* (si tamen ea non repugnat legibus: nemo enim facere potest, quin lex in suo testamento locum habe-

B 3

at l. ne-

122

at *l. nemo potest* 55. ff. de legat. 1. & ut à morte testatoris heres
in omne jus, quod defunctus habuit, succedat *l. nihil aliud* 25.
ff. de V. S. *l. hereditas* 62. ff. de R. J.

XLIV.

Nunc, quia ex prædictis patent necessaria ad testamenti con-
stitutionem; videamus, quæ testamento contrariantur, & quo-
modo illud infirmetur. Et infirmatur quidem testamentum,
ritè factum, quando aut rumpitur aut irritum fit.

XLV.

Rumpitur testamentum, vel posteriori testamento perfe-
cto §. posteriore 2. *Instit. quib. mod. testam. infirm. l. tunc autem*
2. ff. de injust. rupt. irrit. fact. testam. nisi posterius aut jure mili-
tari sit conditum, aut in eo scriptus est, qui ab intestato venire
potest; nam tunc posteriori etiam non perfecto rumpitur pri-
us. Vel agnatione sui heredis, veluti posthumi post mortem pa-
tris, aut eo vivo post testamentum solenniter confectum nati,
à testatore non instituti *l. 1. in fin. & l. posthumi* 3. in pr. §. 1. ff.
d. tit. de injust. rupt. irrit. fact. testam.

XLVI.

Quod tamen, si nativitate liberorum rumpitur, ipsis ante
patrem testatorem decedentibus, reconvalescit ac redintegra-
ta ita, ut ex eo succedi possit *l. posthumus* 12. ff. eod.

XLVII.

Irritum fit; vel capitis deminutione maximâ, testatore ci-
vitatem & libertatem simul; media, retentâ libertate civitatem
amittente; minimâ, statum citra libertatis & civitatis amissio-
nem mutante §. alio autem 4. *Instit. quib. mod. testam. infirm. l. si*
quis 6. §. sed & si quis 6. ff. de injust. rupt. irrit. fact. testam. Vel
non aditâ ex testamento hereditate *l. 1. in fin. ff. b. tit.* tunc enim
omnis vis testamenti solvitur *l. si nemo* 181. ff. de R. J. & dicitur
intestatus, non tantùm qui testamentum non fecit, sed cujus ex
testamento hereditas adita non est *l. intestatus* 64. ff. de V. S.

XLIX.

Atq; his modis testamentum ipso jure infirmatur. Aliquan-
do autem non ipso jure, sed mediante officio judicis per quere-
lam inofficiosi testamenti redditur infirmum. Nam si paren-
tes

res contra pietatem, plerumq; novercalibus delinimentis in-
gationibusq; corrupti, liberos suos vel sine justâ causâ exhere-
dant, vel prætereunt, tale testamentum, tanquam contra officium
paternum factum, à liberis impugnari potest, ut res ad cau-
sam intestati reducatur *l. inofficiosum 3. & l. non est 4. ff. de inof-
fic. testam.*

XLIX.

Non solùm autem liberi testamentum parentum, sed etiam
parentes turbato ordine mortalitatis liberorum *l. nam est 15. ff.
d. tit. & fratres fratrum*, turpi personâ in testamento institutâ,
possunt inofficiosum dicere *l. fratres 27. C. eod.*

L.

Et competit querela inofficiosi testamenti tunc demum, ,
quando aliâ viâ juris quis non potest consequi legitimam: dato
enim alio remedio, cessat querela *§. tam autem 3. Instit. l. Papi-
mianus 8. §. si quis 15. ff. b. tit.* Quæ legitima de jure novissimo li-
beris non donationis vel legati, sed institutionis titulo, relinqui
debet *c. aliud quoq; 3. in pr. Nov. 115.* quia titulus institutionis ho-
norabilior titulo legati vel donati *l. filium 5. §. sed & si portio 6.
ff. de legat. prestand.*

Atq; hæc quidem de materiâ aliâs satis am-
plâ hac vice dicta sufficiant.

Deo Ter. Opt. Max. sit Laus, Ho-
nor & Gloria.

...contingit...
...liber...
...sunt...

Non solum...
...patentes...
...a. m. de...

Et comperit...
...quando...
...enim...
...non...

...hinc...

Deo Ter. Opè Max. Inc. Aus. Ho.
non & Glori.

Wittenberg, Diss., 1634-39

ULB Halle 3
005 151 511




TA → OL

VDA7







542

Disputatio Juridica
De

1634

55
2
1

TESTAMENTIS

Quam

Auxiliante Divinae Maje-
statis clementiâ

Consensu

Amplissimæ Facultatis Juridicæ in Illustriad
Albim Academia,

SUB PRÆSIDIO

Dn. JOHANNIS STRAUCHII

J. U. D. Electoralis Consilarii, Collegii Juridici
Ordinarii, Decretalium Professoris Publ. Curia Electoralis &
Consistorii Ecclesiastici Assessoris, Dn. Præceptoris, Fauto-
ris & Affinis sui summo observantiæ cultu reve-
renter prosequendi,

Publicè discutiendam proponit

MICHAEL LEDERERUS

wittebergensis.

Ad diem XIX. Novemb. Hor. matutin.

In Auditorio Jctorum.



WITTEBERGÆ,

Typis AMBROSII ROTHII, Acad. Typogr.
Anno M DC XXXIV.

121

